



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ
Deuotæ**

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

Quid sit cum Diabolo conflagere. Colloq. LXXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

inuoluere. Habent & hæc nostra tempora immanem eorum hominum multitudinem, qui credentes Resurrectionem, Paradisum, Purgatorium, ac Infernum, ita nihilominus viuunt, quasi nihil omnino crederent, & quasi nunquam morituri mortis recordari non volunt. Habes hic nunc primum illud stratagema, quo antiquus ille Draco vtitur eo in bello, quod contra humanum genus gerit; necesse proinde est vt memoriam mortis non aliter quam clypeum aliquem illi obijciamus. Videamus iam quomodo cum malignis istis spiritibus cõfligatur, & manus etiam, vt ita dicam, conferantur.

Quid sit pugnare contra Diabolum.

COLLOQVIUM LXXXI.

THEOL.

CONFLIGERE cum Diabolo aliud non est quam voluntatem nostram illius voluntati opponere, peccatum odisse, quod ille amari vult, iustitiam amare quam detestari nos cupit, contemne-

temnere vanitates quas nobis obij-
 cit, aspernari delicias quas propo-
 nit, detestari auaritiam quam ador-
 nat, & vno verbo, omnibus illius
 scelestis suggestionibus resistere,
 consilia auersari, conatusque vni-
 uersos infirmare. Verum conflictus
 iste spiritualis est, quemadmodum
 etiam ipsa arma: cum enim contra
 meros spiritus suscipiatur, spiritua-
 libus quoque viribus geri cum o-
 portet, sicuti bellum visibile viri-
 bus corporis suscipitur. Cæterum
 inter omnes animæ facultates, prin-
 cipem locum volūtas habet, quem-
 admodum supra demonstrauius,
 ita vt quoad cum Deo occupatur,
 bonum agat & malum fugiat, ope-
 rando ac moliendo quidlibet con-
 tra Diabolum: ita ergo procedendo
 secura est, & Diabolus non plus ei
 nocere potest, quam catellus aliquis
 catenæ alligatus (vtar simili Diui
 Augustini) qui latrare, dentibusque
 stridere potest, at non nisi eos qui
 propius se accesserint mordere.
 Specta & contemplare mihi paulif-
 per quomodo duo milites armis se

*Aug. de
 tēp. ser.
 197.*

mutuo laceſſant, peſtora peſtoribus, brachia brachijs, pedes pedibus, & denique ferrum ferro opponant: ad eundem plane modum anima aliqua generoſa inimico & hoſti ſe ſuo opponit, voluntati voluntatem, deſideriũ deſiderio, vires viribus, rationẽ rationi obijciens: itaque cum Diabolus malum vult, hæc contra bonũ ſuadet, cum iniquitatẽ ſuggerit, hæc iuſtitiam amplexatur; ille iſtam telluri allidit, hæc contra in cælũ attollitur, hic mēdacijs eam irretire conatur, iſta ex aduerſo veritatem mauult conſectari; ſicq; aſſiſtente diuina gratia victoriam reportat, & hoſtem cædit atque confundit. Depingitur autem nobis cõfliktus iſte in monomachia illa quã Filius Dei ſiluis deſertoq; circumſeptus cum aſtutiſſimo generis humani hoſte inſtituit: monomachia dico, quæ exigui forſitan momenti, ijs videbitur qui nihil niſi corporis vires atque arma commendant, & non niſi hominum bella cõfliktusq; ſpectauerunt: magna autera admirabilisq; illis, qui intel-
ligunt

ligunt quid bella spiritualia sint. Et quoniam non mediocrem fructum nobis ea adferre posse videtur, libet eam nonnihil fusius latiusque dilucidare. Recepit ergo Filius Dei tres petitiones siue ictus ab expertissimo illo hoste, quibus celeberrimi quoque fortissimi que athletæ percussi hæctenus fuerunt & superati: recepit autem illos tempore commodissimo & opportunissimo pro aduersario suo, qui fieri posse non putabat, quin confestim illum à gradu suo dimoueret facillimeque euerteret: videlicet aut per gulam, propter famem, quæ primus impetus erat; aut per præsumptionem, propter sanctitatis experimentum factum in ieiunio miraculoso, quæ secunda petitio fuit, stulta plane & ridicula confidentia stipata; aut per ambitionem & auaritiam, propter abiectam paupertatem, qui extremus ictus fuit, trahens secum idololatriam, vitium omnium priorum turpissimum. Arbitrabatur nimis ille hominem cum fame

conflictantem, & sicut ipse augurabatur, cum ingenti fame, propter quadraginta ipsos dies ieiunando transactos, facile illici posse, ad capiendum experimentum sanctitatis, sub specie & colore necessitatis. Expediuit proinde hic machinam suam, instarque strenui militis eam partem occupauit quæ maximè debilis illi esse videbatur. Præsentat itaque illi lapides, quo panem ex ijs conficiat, qui primus ictus erat. Et quoniam certo non sciebat, cum quonam rem haberet, & quia solum hominem illum esse arbitrabatur, ideo leui negotio vanæ alicuius gloriæ vêtulo eum mulceri euerti que posse existimabat, vnde ait: *Si Filius Dei es*. At ignorabat ille fortitudinem partis aduersæ, nesciebat Christi sapientiam, qui prudentissimè illi respondendo obuiabat atque dicebat: *Non ex solo pane viuit homo, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei*: cuius responsionis hic sensus est. **D E V S** non vni ciborum generi alligatus est, vt creaturam suam sustentet, potest.

Vana gloria.

Deuter. 8.3.

est namque omnia omnino enutri-
re absque panis substantia, quemad-
modum olim Hæbræos in deserto a-
luit, non pane, sed manna; & ideo
veteratoria isthæc tua persuasio ini-
qua est, & argumentum ignorantia
ac diffidentia de potestate Dei. Col-
legit ergo ex hac responsione Dia-
bolus Iesum Christum firma fiducia
diuinæ providentiæ inniti, non col-
legit autem Filium Dei illum ef-
se: sed opinione sua frustratus fuit,
imbecillitati illius adscribens, quod
miraculum non fecisset, quod ipse
præstolabatur. Vnde proprijs vn-
guibus oculos sibi effodiens, & pro-
pria astutia occæcatus secum ipse i-
ta sermocinabatur. Homo hic reue-
ra non is est quem ego arbitrabar,
homo sanctus est, bono animo sis.
Confidit in Deo: proprijs armis eū
expugnabo, in pinnaculum templi,
in locum sanctum transportabo:
suadebo illi ut inde defiliat ad ho-
norem Dei, adoriar illum ente scri-
pturæ sacræ, quo se antea defendere
voluit: facilis omnino res est homi-
ni sancto, in loco sancto scripturæ

sanctæ credere, & in confidentiâ
 Dei non nihil hallucinari & præsu-
 mere de illius providentiâ. Cumque
 iâ viderit se à te ex terra in sublimi
 esse collocatū, sperare reuera aliud
 nō poterit quā Angelū aliquem ad-
 futurū, qui eadē providentiâ è sub-
 limi loco in humilem delaturus sit,
 ne aliquo modo offendatur, secūdū
 promissionem Dei (quam citabis) id
 ipsum confirmātis. Capit ergo secū-
 dum impetum, eum arripit, & trās-
 fert: patitur se I E S V S Christus abs-
 portari, quemadmodum postea et-
 iam crucifigi permisit astutijs huius
 pugilis, quemadmodum pulchrè D.
 Gregorius animaduertit: translato
 ergo illi transportatoque inquit:
Hom. 16. Mitte te deorsum, quia scriptum est,
Quoniam Angelis suis mandavit de te,
Psal. 90. vt custodiant te in omnibus vijs tuis.
 Verū cū & istud nequidquam
 esse compereret secunda responsio-
 ne efficacissima delusus fuit atq; re-
 iectus; *Deum tuum non tentabis;* pla-
 nè ac si Dominus noster dicere vel-
 let, Prædicando in me providentiā
 Dei, vis vt per temeritatē illū offen-
 dam.

dam, & vt exprimentum de re non
 necessaria capiens, legem illius pre-
 uaricer. Verum & hic antiquus ille
 vrsus benè pexus depilatusque de-
 cessit: eius vafrities elusa fuit, opi-
 nioq; illa penitus dimitti cæpta, qua
 filium Dei cum esse existimabat;
 sicq; eadē sapiētia qua ante deuictus,
 communibusq; armis hominū simul
 ac Angelorū cum confusione succu-
 buit. Concludit ergo firmiterq; cō-
 stituit, nolle se amplius Filium Dei
 illum appellare, ac tertio assultu
 in eum velut purum merumque ho-
 minem prouere. Pergit itaq; & lo-
 cum ab arbitrīs remotiorē, longin-
 quum, desertūque abducit, videlicet
 in editum ac excelsum montem: il-
 lic maximas tentationum machinas
 ac balistas disponit, quibus in omni
 memoria vnquam homines aggredi
 adorique consuevit; submittit a-
 uaritiam, & ambitionem, adornat
 aurum & gloriam humanam: existi-
 mans fieri omninò non posse ijs
 vt egenus aliquis ac inops non
 abripiatur, qualem ipse Deum es-
 se existimabat, nesciens paupertate.

*Graviss-
 ma Dia-
 boli ten-
 tationes.*

rem illam ac egestatem non casu illi obuenisse, sed spontè, sed voluntario, sed ex contemptu mundi electam & ascitam fuisse. Translato itaque ad hunc modum in excelsum ac editum montis iugum, monstrat confestim illi non cælum aut cælestem aliquid, quemadmodum olim Deum Moyse fecisse legimus: sed mundum, sed mundana: promittit mendaciter omnia isthac illi se daturum, postulat impudenter adorari, quod summum votorum suorum erat: verum recepta asperrima elusione ac contumelia plena magnanimitatis audita: *Vade Sathana, scriptum est enim, Dominum Deum adorabis, & illi soli seruias;* absq; bucina receptui cani iussit, petitionibusque suis ac verberibus strenui aduersarij acquiescens, fuga sibi consulendum esse existimauit. Fuerunt ergo istiusmodi illæ aggressiones ac insultus fortiores vt esse vehementiores non possent: occasiones autem nec conuenientiores optari, nec ipsis machinationibus solertius quidquam videbatur posse excogitari.

*Mat. 4.
10.*

tari, secundum opinionem dico emeriti alicuius perduellis Imperatoris: at sensit ille nihilominus rem sibi esse cum athleta, qui lanceas excutere melius quam ille ipse vibrare posset. Porro omnes istas tres persuasiones breui dissecuit & amputavit fortissimus noster Capitaneus, gladio videlicet omnipotentis sui sermonis: cruentans omni ex parte inimicum suum acutissimis responsionibus contradictorijs, & insigni ignominia confusioneque illum afficiens: quæ reuera ipsa illa vulnera letalia sunt, quæ genius aliquis arrogans & ambitiosus, simulque Princeps filiorum superbiæ excipere possit. S. Iacobus in signe admodum consilium nobis suggerit, bellè reuera exemplo magistri sui conueniens, quâdo ait: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Cõsonat huic S. Petrus, qui Christianos suos ad fortiter & strenuè contra Diabolum pugnandum incitaturus, sic ait: *Fratres sobrii estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, quarens quem deuoret:*

Ignominia, vulnera superborum.

Iac. 4. 7.

1. Pet. 5. 8.

cui

cui resistite fortes in fide. Cui resistite, inquit, planè ac si totius pugnae alea in resistendo verteretur, & in voluntatis contra Diabolum ac peccatum (quemadmodum reuera est) obnixum consisteret. Ad eundem modum & Diuus Paulus ait: *Ep. 1. 27. Nolite dare locum diabolo*; id est, si superiores ac victores in hac lucta esse desideratis, resistite vigilantè, & caute ne voluntas vestra aliquid dicat aut faciat, quo ad consensum inimici accedatis: caute ne per assensum interiore, neue per verba, aut opera exteriora locum illi aliquem relinquatis; etsi etiam minimus ille esset, & vel leuissimus pilus à vobis peteretur. Qui obsidione aliqua hostili cinguntur, si communi sensu ac ratione præditi sunt, non solum præsidia speculis imponunt, portas custodiunt, murosq; conseruant: sed etiam fossas obseruant, ne videlicet aditus aliquis hosti relinquatur, per quàm se ingerere valeat, & sic tandem ciuitate ipsa potiri. Idè nobis cõtra Diabolum faciendum est, qui quotidie nos

nos armis suis laceffit, & modò af-
fultu, modò proditione, modò alia
ratione propugnaculum & castellū
animæ nostræ occupare conatur: in-
ter quæ illud nos erigere, recreare,
ac consolari oportet, quod nos ex-
pugnare non potest, nisi ipsi veli-
mus; assistente videlicet diuina gra-
tia, quæ nunquam volentes deserit
ac derelinquit.

*Hominem esse ciuitatem Re-
galem.*

COLLOQVIUM LXXXII.

VERVM quò plenius planiusq; **THEO.**
propositū istud nostrū per- *Homo*
sequamur, quemadmodum *ciuitas*
meretur, notandum hoc loco venit, *bene cō-*
hominem Regalem quandam ciui- *stituta.*
tatē videri esse nuncupandū: quem- *Arist l.*
admodum eum Plato, & non multò *de com.*
post Arist. appellandum sibi esse ex- *ani. mo-*
istimauerunt. Nec immeritò sanè: *riōne. l. 4.*
si enim microcosmus ille quidam *pol. c. 4. l.*
est, quemadmodum abundè supra *s. c. 3. l. 7.*
declarauimus, quantò iustius ciui- *c. 4.*
tatis nomē quadrare ei potest, mūdi
vide-